Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Inauguralis Iuris Publici De Coexercitio, Sive Simultaneo Utriusque Romano-Catholicae Ac Evangelicae Religionis Exercitio Licito Ac Illicito

Schweder, Gabriel
Burgermeister von Deizisau, Gabriel Franz

Tubingae, 1727

VD18 11378891

Thesis VI.

urn:nbn:de:bsz:31-130851

Visual Library

Thesis IV.

Reperti quoque & reperiuntur etiamnum ejusmodi Episcopatus, Bischoff-Thümer und Stiffter / in quibus pariter utriusque illius Religionis Exercitium viguit, & ubi sua tam Catholicis, quam Augustanæ Confessionis Canonicis sunt ac fuerunt Statuta ac Jura, quæ Pace Westphal. confirmata ac approbata juxta Statum Anni 1624. Instrum. Pac. Westph. *Art. V. §. 16. 20. 23. 26.*

Thesis V.

Præterea si Status Imp. Catholicus bona quædam immobilia suæ ditionis, etiam ante hominis memoriam, alii Statui Aug. Confess. Pignoris antichretici jure obligaverit, hicque creditor pignoratitius suæ Religionis Exercitium illic introduxerit, hi incolæ & subditi, facta à Domino reluitione, non coguntur solum vertere, aut suam Religionem, in cujus quacunque Anni 1624. parte professionem exercuerunt, deserere, sed Domino Territoriali Catholico in has suas terras antehac alii oppignoratas, & nunc, facta reluitione ac sorte reddita, ad se reversas, simultaneum suæ Religionis Exercitium introducere ac stabilire licet. Instrum. Pac. Osnabrug. *Art. V. §. 27.*

Thesis VI.

Permissum denique maneat simultaneum utriusque illius Religionis Exercitium vigore Pacis Westphalicæ in omnibus Civitatibus & locis immediatis ac mediatis, ubicunque illud Anno 1624. receptum & in usu fuit, vi Inst. Pac. Westph. *Art. V. §. 31. 32. 43. 49.* Quibus hactenus recensitis casibus, num simultaneum Religio-

nis Exercitium jure obtineat, dubitare non poteſt, niſi qui peponem pro corde, ac cucurbitam pro cerebro vel capite habeat, cum enim generaliter hiſce in locis pro ſtatu Anni illius decretorii Sanctione Imperii Pragmatica illud ſit ſtabilitum, iners utique ac excors eſſet, qui de illius jure dubitaret.

Theſis VII.

Sed num Dominus Territorialis Romano-Catholicus in Principatu ſuo, in quo Exercitium Evangelicæ Religionis annis decretoriis 1618. vel 1624. ſolitarium, excluſivum, privativè viguit, Simultaneum vel Coëxercitium Religionis ſuæ Romano-Catholicæ, cui ipſe addictus, vel in jam extructis, atque modo indigitatis in annis ab A. C. addictis poſſeſſis, ab omnive Religionis Exercitio plane vacuis, vel ſaltem in noviter ab ipſo extruendis Templis introducere queat, modo Evangelicis ſuæ Religionis Exercitium ſalvum & liberum relinquat, nec iisdem adimat? vel contra? maxime controverſum eſt. Cujus Quæſtionis Affirmativam Romano-Catholici Scriptores ſuſtinere non dubitant, dicentes, Principem Romano-Catholicum Principi Aug. Confeſſ. addicto ſuccedentem, vel noviter abjurata Aug. Confeſſione ſe Pontificiorum Sacris addicentem, non tantum pro ſuæ Religionis Exercitio nova Templa & Sacella in Territorio ſuo extruere, vel ſi quæ devaſtata & deſolata ac pro derelictis quaſi habita & ab omni Religionis Exercitio vacua iſthic deprehendit, ea pro ſe, Aulicis & ſubditis ſuæ Religionis reſtaurare, inque illis ſuæ Religionis Exercitium, ſalva Pace Weſtphalica, libere introducere poſſe, licet Anno 1618. vel 1624. Romano-Catholici nullum in toto

Terri-